

Ad 4. N. iterum juxta præmissa. Valde siquidem indulgentiarum largitio nos provocat ad propria peccata detestanda, ut possimus tantum bonum nobis comparare. Sublinem prorsus divinæ justitiæ ideam in nobis indulgentiæ excitant, utpote quæ, remissa jam culpa, pœnas adhuc exposcat, quæ expiari non possunt nisi ingentibus laboribus, quibus omnibus persolvendis cum impares præ infirmitate sæpe in hac vita nos esse contingat, comitem sibi misericordiam adsciscit indulgendo nobis ut aliorum satisfactionibus debitum nostrum facilius extinguamus. Ad virtutis pietatisque æmulationem nos excitant, cum nemo possit alienarum ejusmodi satisfactionum particeps fieri nisi in statu gratiæ sit, et alterius sanctitatis, quoad ejus fieri potest, imitator (1).

Ad 5. N. Tantum enim abest ut indulgentiæ traduci possint, ut indigna Christi sanguinis profanatio, ut nihil sit quod ejusdem virtutem magis commendet. Ex his enim edocemur sanguinis pro nobis effusi vim sese porrigere usque ad pœnas per peccatum promeritas elucendas, ita tamen ut omni virtutum exercitio, sinceræ præsertim conversionis ope, ejusmodi vim satisfactoriam nobis applicemus.

Ad 6. N. Indulgentias medium esse a romanis pontificibus excogitatum absurda hæreticorum calumnia est, quæ quamvis sæpe refutata sit, eam nihilominus semper usque ad nauseam ipsi obrudunt ad incautos decipiendos. Si qua enim olim pecunia exsolvebatur ad indulgentias lucrandas, hæc non exigebatur ut indulgentiarum pretium, sed tanquam conditio perinde ac cetera pia opera, cum non nisi in pios usus converteretur (2). Haud inficiamus nec

bunali di penitenza pressochè tutti i di; frequentate le vie, che mettevano alle quattro chiese tra se distanti da visitarsi quindici volte, e frequentate sulle ore prime del giorno, e non solamente dagli artieri, e dalla plebea gente, ma da persone signorili e da cavalieri e dame di primo rango, a piedi, in abito dimesso, e tutti composti a modestia; il sacerdote in somma ed il popolo, il vecchio e il giovine, il povero ed il ricco, le persone private e i corpi pubblici erano compresi da una santa gara di distinguersi in operi di pietà e penitenza, e spiranti compunzione e fervore. Trionfo proprio a quell' epoca avventurata in Milano la fede, la speranza e la carità; sembravano tornati i santi giorni di Carlo; ed il libertinaggio e l' incredulità, che pur trovò modo e verso di contaminare quelle già monde contrade, si morse per rabbia le labbra e si nascose. Cf. *Sermoni istruttivi di un vecchio parroco della Toscana*. Serm. IX. Nec dissimile spectaculum, imo longe sul limine Roma præbuit, attenta urbis majestate et amplitudine, in jubileo quod sub Leone XII. s. m. in ea celebratum est, cujus ipse testis fuit. Si hæc porro cum orgiis conferantur quæ superioribus annis exhibuerunt protestantes in celebratione jubilei, seu centeni ejusque anni reformationis, id est, defectionis a vera Christi Ecclesia, patebit tanquam inter se pugnantia plane differre.

(1) Recte Petrus Ballerinius, op. cit. cap. 2. § 13. « Tantum abest, scribit, ut penitentia spiritum relaxent hodiernæ indulgentiæ, quia promovent potius: hocque sane consilio, ut illum promoveant, a pontificibus impertiuntur, ut liquet ex Bullis ipsis jubilei, in quibus digni penitentia fructus ex evangelico præcepto commendantur, et ad eos edendos invitantur fideles: atque ut *hos salutare penitentia fructus promptius proferant, plenariam indulgentiam concedimus*, inquit s. Pius V. in Bulla an. 1566. quibus similia alii pontifices ingerunt. Itaque si semper quidam indulgentiarum usus utilis et salutaris fuit, nunc certe, cum penitentiam adeo promoveant, utilissimus et maxime salutaris haberi debet ».

(2) Nunquam ostendunt Ecclesiæ catholice hostes datas fuisse indulgentias a romanis pontificibus ut inde lucrum

paucos nec leves abusus ex parte quæstuariorum irrepisse; verum hi abusus istis, non autem romanis pontificibus, qui perpetuo eos accerrime damnarunt (1), adscribendi sunt. Cum denique ex Tridentino quæstorum officium abolitum sit, ac turpes omnes quæstus sublatis, in quem finem has querelas adhuc movent hæretici et increduli, nonne hoc est umbras consecrari?

Ad 7. D. Quoad eos, qui seipsos decipientes hanc petram scandali quærunt quam sibi ipsi confingunt, C. quoad reliquos omnes N. Sibi propterea iniqui imputare debent si scandalum inveniunt in eo quod ædificationem parit. Ceterum veritatis vi compulsi non pauci adversarii hanc difficultatem jam deseruerunt (2). Quod vero dicitur de formula *a culpa et pœna*, uti ostendit Benedictus XIV., non romanis pontificibus, qui eam improbarunt atque aperte rejecerunt, sed « præteritorum seculorum quæstoribus tribui debet » (3).

Ad 8. N. Sed jure potius affirmamus juxta dicta esse indulgentias redemptionis extensivas.

Ad 9. N. Hæc iterum calumnia est, quæ ex experientia dissolvitur. Certe qui hæc nobis objicit, quique propterea a lucrandis indulgentiis alienus erat, non se præbuit omnium virtutum exemplar. Ast aliud est stylum oratorium acuire, aliud vero virtutem consecrari (4).

PROPOSITIO II. — *Indulgentiæ hominem liberant a pœna reatu non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo.*

Fidei proximam esse hanc propositionem constat ex diversis propositionibus censura notatis; ac 1. ex

referrent, seu exactam fuisse pecuniam tanquam indulgentiarum pretium. Pecunia quæ interdum erogabatur a fidelibus ad obtinendas indulgentias ad usus pios convertabatur. Medio præsertim ævo ingentem utilitatem pepererunt ejusmodi elargitiones, ad bellum nempe in Turcas, qui perpetuo Europæ, et Italiæ præsertim cervicibus jugum minabantur; ad pontium, viarum, etc. refectionem ac constructionem; ad templorum, hospitalium, orphanotrophorum, etc. erectionem, et dotationem; ad puellarum, maleque nuptiarum subventionem, etc. etc. de quibus Cf. Amort., op. cit. p. 1. sect. 6. 7. adeo ut merito concludat eruditus Scotti *Problemi di politica cristiana*, Napoli 1850. vol. 1. part. 2. *Teorema II.* ipsam politicam societatem innumeras prope utilitates exinde percepisse. Nec omittendum non nisi paucas admodum fuisse indulgentias sub hac conditione concessas, si comparentur cum aliis, quæ ob opera seu exercitia mere spiritualia conferebantur. Attamen ut hæretici et increduli invidiam conflent in indulgentiarum largitionem ingeminare apud imperitos adhuc pergunt in Ecclesia Romana vendi indulgentias! *sinite illos, cæci sunt et duces cæcorum.*

(1) Cf. Christ. Lupum Diss. cit. cap. 5. et 4. necnon Amort. p. 2. sect. 1.

(2) Ut patet ex verbis quæ adduximus ex Sismondi.

(3) *De synodo Diocæs.* lib. xiii. cap. 18. § 7. ubi plura scitu digna reperiuntur. Audiendus proinde non est Morinus dum lib. x. *de penit.* cap. 22. contrarium suadere nititur. Nec sane quod sibi propositum argumenta, quæ affert, evincunt. Cum *peccati* nomen passim usurpetur ad significandum pœnæ reatum, hoc sensu intelligi debent ille formulæ quibus dicitur per indulgentias *remitti peccata*, aut *tertiam partem peccatorum*, tum etiam quæ Romæ interdum antiquæ invisuntur formulæ, e. g., *concedi remissionem omnium peccatorum visitantibus talem Ecclesiam*, uti legitur in Ecclesia s. Laurentii extra muros, etc. nempe *pœnam peccatis debitam* rite dispositis, ut exposuimus.

(4) Quam leyem, mendacem, ac pessimam fidei esse ex-

art. XIX. Lutheri a Leone X. confixo: « Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debita apud divinam justitiam (1); » 2. ex propos. XL. synodi Pistoriensis asserente: « Indulgentiam secundum suam præcisam notionem aliud non esse quam remissionem partis ejus penitentia, quæ per canones statuta erat peccanti; » quæ propositio sic intellecta: « quasi indulgentia præter nudam remissionem pœnæ canonice, non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debita apud divinam justitiam » a Pio VI. in Const. *Auctorem fidei* declaratur et proscribitur ut *falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, ac dudum in art. 19. Lutheri damnata*. Hanc eandem doctrinam pseudo-synodi nonnulli theologi Ecclesiæ perturbatores suam fecerunt (2).

Apertam doctrinæ catholice veritatem ita invictissime ostendimus: Indulgentiæ vere hominem liberant a reatu pœnæ non solum in foro externo coram Ecclesia, sed etiam in foro interno coram Deo, si divinitus in eum finem Ecclesiæ concessa sit eas dispensandi facultas; si talis perpetuus fuit patrum et Ecclesiæ catholice sensus in iis dispensandis; si denique ipsa indulgentiarum natura id exposcat. Atqui.

Jam vero facultatem concedendi indulgentias divinitus Ecclesiæ datam esse ad remittendas coram Deo pœnas temporales peccatis actualibus debitas pronum est inferre ex iis quæ superiori propositione attulimus. Descendit enim hæc facultas, ut vidimus, ex potestate clavium et quidem illimitata ad tollenda impedimenta ab ingressu regni cælorum, cujusmodi pœnæ reatus est; ex potestate ligandi et solvendi coram Deo, ita ut ratum habeatur in cælis quod ejusdem potestatis vi ligatum aut solutum fuerit in terris. Rursum Apostolus proficitur se donasse Corinthi incestuoso penitentia partem in persona Christi, ac propterea auctoritate divina, et præcise illius penitentia partem donasse, qua obstrictus erga Deum tenebatur: « Ut spiritus salvus sit in die D. N. J. C. » (3).

hüberit Gioja adeo ab incredulis commendatus in novo suo Galateo quisque intelliget qui veors omnino non sit. Soli stulti his libellis decipiuntur.

(1) Apud Harduin. *Acta Conc.* tom. ix. col. 1894. ubi tamen hic articulus ponitur sub. n. 15.

(2) Inter hos eminent Vincentius Palmieri, qui prævit synodo Pistoriensis in *Trattato storico-dogmatico-critico delle indulgenze*. Prato 1787. Hic tractatus ex decreto Congreg. sub die 31 Mart. 1788. approbato a Pio VI. in indice librorum prohibitorum relatus est. Verum quem Roma proscriptis, ut cum s. Hieronymo loquar, et probarent solenniter Pistoriensis. Scripsit adversus Palmieri P. Jo. Joseph Ferrari min. convent. *Istruzione sopra le indulgenze*, præcipue vero Alf. Muzzarelli in op. *Il buon uso della logica, opusc. Trigesimo, valore delle indulgenze*. Pereira de Figueiredo, in opere lusitanice conscripto, *Analisis professionis fidei sancti patris Pii IV.* Ulyssipone an. 1791. quod an. sequenti Neapoli italice prodit, catholicam pariter doctrinam de indulgentiis impugnavit; proscriptam autem est decr. 26. Jan. 1795. Adversus Pereira Cf. *Lettera di un teologo ad un suo amico*. Bologna 1795. necnon *supplemento al giornale ecclesiastico di Roma* quint. V. per 1 mesi di Settembre e Ottobre 1792.

(3) Illud in persona Christi gr. in epistolâ Xpianis Erasmus nullo exemplo innoxius vertit in conspectu Christi. At cer-

Talem præterea perpetuum fuisse patrum et Ecclesiæ catholice sensum in concedendis indulgentiis luculenter patet 1. ex formula qua feria V. in Cæna Domini ab episcopo fidelibus penitentia relaxabatur, quæque adhuc legitur in Ordine romano: « Deus humani generis conditor et reformator... agrosce oves tuæ redemptionis, et constrictas vinculis peccatorum Ecclesiæ tuæ precibus exoratus absolve » (1); 2. ex persuasione catholice Ecclesiæ meritis Christi et satisfactionibus sanctorum MM. remitti peccata, seu pœnas peccatis debitas, ob quam Tertullianus jam montanista Ecclesiam acriter arguit lib. *de Pudicitia* cap. ult. quod mœchis nempe tribueret veniam, sic enim scribit: « At tu jam et in martyres tuos effundis hanc potestatem. Quis permittit homini donare, quæ Deo reservanda sunt? Sufficiat martyri propria delicta purgasse... quis alienam mortem solvit, nisi solus Filius Dei? Hujus pariter totius populi carthaginiensis persuasionis, de obtenta scilicet per libellos martyrum pace in cælis, testis est locupletissimus clerus romanus, in epistola XXX. ad s. Cyprianum (2); 3. demum constat ex apertis s. Cypriani testimoniis in quibus s. Martyr affirmat relaxationem penitentia publicæ quæ ad preces martyrum concedebatur apud Deum valere; sic enim loquitur epist. XII: « Occurrendum puto fratribus nostris; ut qui libellos a martyribus acceperunt, et prærogativa eorum apud Deum juvari possunt, » et alibi passim (*Apud citt. AA.*) Et hæc de Patrum et Ecclesiæ sensu quoad priora secula, ad subsequencia enim quod attinet, neque ipsi adversarii talem fuisse dissentunt.

Ipsam denique indulgentiæ naturam id exposcere constat ex eo, quod cum Ecclesia quempiam ob peccata ligat penitentia, quas ei juxta potestatem sibi a Christo traditam injungit, liget ipsum reipsa coram Deo, ergo et coram Deo eum solvit cum eidem vel omnem vel partem saltem hujus penitentia relaxat. Ut enim ostendit Sirmondus, omnis penitentia proposita sibi habet veniam, publica vero penitentia veniam simul et exemplum. Si igitur omnis penitentia hoc proprium habet, expiationem scilicet abolitionemque peccatorum, necessario sequitur ut non

tum est tantumdem valere in persona Christi, ac in nomine, vice et auctoritate Christi: cujus scilicet personam Paulus gerat; ut sicut in nomine Domini Jesu Christi tradiderat hunc incestum hominem Satanae, quemadmodum dicit in priori epist. cap. 3. sic in ejusdem Christi nomine ac persona nunc eum absolvet. Quare non modo hunc locum ita legunt atque exponunt veteres omnes latini patres et expositores, adductis in hujus expositionis confirmationem Christi verbis: *quæcumque solveritis*, etc. verum etiam patres et expositores greci Theodoretus, s. Joan. Chrysostomus, Theophylactus et Oecumenius. Cf. Estium in c. 2. ep. n. ad Cor.

(1) Alias ejusmodi orationes cf. ibid. loc. cit. pag. 684. seq.

(2) Lapsi enim qui intempestivam indulgentiam exposcebant ex communi receptaque persuasionem jactabant se pœnem consecutos non tam ab hominibus quam a Deo ipso; nam « pacem, ibi legitur, non tam peterebant quam vindicarent, imo jam et in cælis habere se dicebant. » Cf. Lupum Diss. cit. cap. 1. Necnon Eus. Amort. op. cit. tum part. 1. Dissert. prælim. § 5. tum ib. sect. 1. *Indulgentia* n. et seqq. cf. præterea Petr. Ballerinium Prælect. cit. § 2. n. 10. seqq. a quibus luculentissima testimonia congeruntur, quæ hanc veritatem adstruunt.

possit indulgentia conferri quin coram Deo valida sit (Cf. in op. *Historia poenitentiae publicae* Cap. 10). Haec accedit ineluctabile s. Thomae argumentum, quod si vera esset adversariorum sententia: « Ecclesia huiusmodi indulgentias faciens, magis damnificaret, quam adjuvaret: quia remitteret ad graviore pœnas, scilicet purgatorii, absolvendo poenitentis inunctis » (Suppl. Q. 25. a. 1). Attamen tum ex concilio Tridentino, tum ex fidei professione credere tenemur indulgentiarum usum esse christiano populo maxime salutarem.

DIFFICULTATES. *Obj.* 1. Indulgentia hodiernae subrogatae sunt relaxationi veteris poenitentiae canonicae persolvendae a publicis poenitentibus priusquam absolutionis sacramentalis beneficium obtinerent. Jam vero poenitentia vetus canonica non remittebat poenam in foro interno, sed instituta tantum fuit ad publicam dandam tribunali ecclesiastico satisfactionem; ergo neque indulgentia hodiernae remittunt poenam in foro interno coram Deo, sed solum in foro externo et coram Ecclesia. 2. Quare concilium Tridentinum docet Ecclesiam etiam antiquissimis temporibus usam fuisse potestate conferendi indulgentias: atqui indulgentia antiquitus erat moderata condonatio poenae canonicae, quam adhuc vigere credendum est, cum nunquam fuerit abrogata. 3. Haec autem confirmantur ex formula in iure passim usurpata, juxta quam indulgentia conceditur *de poenitentis inunctis*, nempe a iure, ut plures nec ignobiles theologi et canonistae exponunt; evidens porro id fit ex indulgentiis partialibus, quibus relaxatur poenitentia *septem*, e. g., *annorum et totidem quadragenarum*, qua formula aperte alluditur ad poenitentiam canonicam cuius pars remittebatur. 4. Id demum conficitur ex ratione quam adducit Tridentinum ne nimia sit has indulgentias concedendi facilitas, ne scilicet « enervetur disciplina. » Quae porro disciplinae enervatio fingi aut concipi posset si indulgentiae non essent mera poenitentiae canonicae relaxatio? Ergo.

R. I. ad 1. Transmissa maj. *N. min.* Poenitentia enim vetus canonica vere etiam dimittebat poenam in foro interno et coram Deo, ut patet ex ipsa poenitentiae natura, quae ordinata est ad poenae expiationem, uti animadvertimus: ideo vero publicae poenae indicebantur, ut pro illato scandalo satisfaceret: id ipsum patet praeterea ex eo quod illa publica poenitentia constitueret satisfactionem illam quae pars erat integralis sacramenti poenitentiae, saltem quatenus sacerdos per absolutionem eam applicabat sacramento, et ei vim operis operati tribuebat. Canones porro numero et gravitati criminum parem poenam irrogabant (1).

R. II. N. maj. Constat enim ex facto Corinthii in-

(1) Ab initio institutionis poenitentiae canonicae necesse, in idololatriam lapsis, et homicidis per canones poena constituta fuit; postea tamen alii canones adjecti sunt, vi quorum poenae pariter subiciebantur aliorum criminum rei praesertim quoad peccata publica. Haec autem regulae imponendarum satisfactionum pro peccatis publicis inseriebant etiam sacerdotibus ad easdem satisfactiones injungendas iis qui se oculis tantum culpis commutave-

cestuosi datam esse indulgentiam ante poenitentiae canonicae institutionem juxta potestatem quam Apostolus a Christo acceperat. Sane si Ecclesia per indulgentiam non remitteret nisi poenitentiam canonicam in foro externo, nulla esset ratio cur applicarentur nobis in indulgentiarum concessione Christi et sanctorum satisfactiones, prout facere Ecclesia consuevit, sed satis ei esset potestate sua uti, quia sicuti canones poenitentiales instituit, sic eos relaxare potest. Accedit quod in adversariorum hypothese indulgentiae forent nulli emolumento illis qui nulla crimina canonica, vel saltem publica perpetrassent. Siquidem exploratum est apud eruditos pro solis peccatis canonicis et publicis canones publicae poenitentiae fuisse constitutos, neque unquam peccata occulta, publica poenitentia, lata saltem lege, fuisse expianda. Quapropter si admitteretur adversariorum principium, sequeretur nullas plane indulgentias esse pro innocentibus, nullas pro peccatoribus occultis, sed solum pro idololatriis, sceleratis ac publice facinorosis, quae omnia falsa et absurda sunt.

Ad 2. N. min. ut patet ex modo dictis. Insipienti profecto jansenista qui canonicas poenas etiamnum vigere autumat. Licet enim poenitentia canonica abrogata non fuerit positivo aliquo decreto, abolita tamen est contraria tot seculorum consuetudine (1). Inde enim potius novum exargit argumentum pro indulgentiarum vi ex concilio Tridentino, quod declaravit indulgentiarum usum esse christiano populo maxime salutarem et retinendum juxta communem tunc temporis sensum. Quinque porro et amplius seculis ante Tridentini aetatem jam cessaverat poenitentia canonica, expresse tamen profitebatur Ecclesia indulgentiam esse veram poenae temporalis Deo debite in foro interno remissionem. Nec illud omittendum, quod concilium loquatur de indulgentiis quas cum Lutero protestantes rejiciebant. Atqui Lutherus cum suis assecclis, uti exposuimus, nunquam negavit Ecclesiam posse concedere indulgentiam in foro externo, imo id expresse professus est, sed solum inficiatus est valere indulgentias in foro interno ad remittendam poenam temporalem coram Deo.

Ad 3. D. Indulgentia in iure passim conceditur *de poenis inunctis*, id est, de poenis quibus obstrictus est peccator coram Deo, quaeque remittuntur juxta formulas quae olim in Ecclesia obtinebant, cum adhuc vigeret poenitentia canonica, *C. de poenis inunctis* pro solo foro ecclesiastico *N.* Recepta utique passim erat formula ut indulgentia concederetur *de poenis inunctis* per canonicas sanctiones; licet vero haec canonica poenitentiae, ut diximus, in desuetudinem abierint, retenta tamen est formula illa ad significandam remissionem illius poenitentiae quae illis sanctionibus

rant. Cf. Morinum op. cit. tab. 7. cap. 21. seqq. tum etiam in *Descriptione et enarratione codicis Mss., poenitentiarum*, etc. ad calcem operis *de poenitentia*.

(1) Cf. Morinum de poenit. lib. x. cap. 16. seqq. praesertim cap. 23. Cf. etiam cl. Marchetti *critica della Storia Ecclesiastica e dei discorsi del sig. ab. Fleury*, P. 1. art. 1. § 6. et 7.

responderet (1). Cum vero ostenderimus poenitentias illas fuisse vere satisfactorias non solum coram Ecclesia, sed etiam imo praecipue coram Deo, nihil ex illa formula extundi potest, quod jansenistarum systemati faveat. Exinde etiam responsio patet ad id quod subdunt adversarii de indulgentia *septem annorum et quadragenarum*, cum nemo inficias eat indulgentias, etiam abolita poenitentia canonica, concessas fuisse juxta formulas, quibus antiquitus poenae illae relaxabantur. Cardio controversiae in eo consistit, utrum cum poenae illae remittebantur, ejusmodi remissio esset etiam in foro interno coram Deo valida necne. Validam porro in foro interno eam relaxationem fuisse ineluctabilibus argumentis nos evicisse confidimus (2).

Ad 4. D. Conc. Tridentinum moderationem in largiendis indulgentiis adhiberi cupit ne nimia facilitate ecclesiastica enervetur disciplina, quia ex nimia facilitate indulgentiae vilescerent ac ardor refrigereret ad eas comparandas, *C.* in ordine ad poenitentiam canonicam, quae nusquam existit *N.* Posterius enim hoc affirmare est plane ridiculum, ac sensum absurdum tribuere verbis Tridentini, quasi serio concilium potuerit asserere enervari disciplinam ecclesiasticam illarum sanctionum, quarum a pluribus seculis nullum supererat vestigium, per nimiam facilitatem indulgentiarum. Restat propterea ut concilium moderationem cuperet ne ex nimia facilitate tepesceret fervor fidelium in indulgentiis lucrandis, in operibus exequentis quae imponi solent in indulgentiarum concessione, in spiritu poenitentiae fovendo, aliisque ejusmodi juxta hodiernam Ecclesiae disciplinam.

(1) Huc revocandum est quod paulo ante annotavimus de canonibus poenentialibus, qui temporis decursu constituti sunt, quibus unicuique peccato peculiaris poena decernebatur. Hi canones in unum collecti libris qui poenitentiales dicti sunt originem dederunt. Usui autem erant ejusmodi libri non solum in defunctis poenis publicis peccantibus, verum etiam in injungendis poenis seu satisfactionibus pro peccatis occultis. Porro ejusmodi poenae nec leves nec breves admodum erant prout crimina ferebant. Interdum ad plures annos jejuniorum, chameuniarum, peregrinationum etc. protendebantur. Sec. 9. et duobus sequentibus ceperunt graves ille corporis afflictationes redimi per pecunias pauperibus alendis erogandas, certas preces, sacrificia missae, etc. aut etiam per flagellationes. Hinc celebres evaserunt eo tempore poenitentiae redemptiones, aut commutationes. Donec tandem, redemptionibus succedere indulgentiarum largitiones per levio-rem adhuc pii alicujus operis commutationem saeculo praesertim XII. quando ceperunt expeditiones in terram sanctam. Cf. Morinum lib. x. de poenit. cap. 17. seq. Ex his facile explicantur formulae ex ea potissimum aetate receptae quibus concilia et pontifices passim uti sunt in largitione indulgentiarum, quibus alludebant apertissime ad poenas illas inunctas in libris poenentialibus, quae sacerdotibus confessiones excipientibus legem seu normam praebant ad poenas injungendas etiam peccatoribus occultis. Patet praeterea ex dictis qua ratione etiam post abolitionem poenitentiae canonicae usum, adhuc tamen perseveraverint formulae ille in indulgentiarum concessione.

(2) Hinc assentiri nequeo Petro Ballerino, qui cit. *Pract. lect. III. de indulgentiis* cap. 2. § 1. autumat etiamnum cum ab episcopo sive a romano pontifice conferuntur indulgentiae nil aliud fieri quam relaxari graviore poenas canonicas levioribus multo operibus inunctis, in quod commutatio partim cadit, partim absolutio. Quomodo enim indulgentiae hodiernae haberi possunt veluti poenarum canonicarum relaxationes, si earundem vis nulla prorsus est, seu nullatenus vigent poenae canonicae? Non inficiatur tamen Ballerinus hanc poenarum relaxationem valere coram Deo, imo contendit ac propugnat.

I. Inst. 1. Lapsi olim rogabant martyres, ut antistites flecterent ad rigorem mitigandum canonice poenitentiae; 2. et s. Cyprianus aperte declarat peccata solis poenitentiae laboribus sui posse, sacerdotes vero qui pacem dabant iis, qui satisfactionem nondum persolverant, vocat *damones, lupos, devastatoresque gregis, qui per pacem didicerunt facere bellum* (1): ergo.

R. Ad 1. D. Per mitigationem coram Deo validam juxta dicta, *C.* validam tantum in foro ecclesiastico *N.* Eadem enim chorda semper oberrant adversarii.

Ad 2. D. Juxta disciplinam tunc temporis vigentem, *C.* absolute *N.* Etenim cum s. Cypriani aetate maxime vigeret in Ecclesia disciplina poenitentiae publicae, praesertim quoad tria illa crimina quae superius recensuimus, merito s. martyr invehitur in eos factiosos, novatianos scilicet, qui per nimiam facilitatem homines desides faciebant in operibus poenitentiae persolvendis, quod est contra Ecclesiae mentem (2).

II. Inst. Saltem episcopi juxta veterem disciplinam non concedebant indulgentiam nisi intuitu fervoris quem poenitentes praese ferebant, quo propterea pro peccatis eos Deo satisfacisse jure praesumerent, reliquam igitur quam eis indulgebant poenitentiam in solo foro externo indulgebant. Ergo.

R. D. Intuitu fervoris quem episcopi in poenitentibus conspiciant movebantur ad remittendam reliquam poenitentiae partem, *Tr.* Dabant indulgentiam eo quod praesumerent nihil ipsis superesse coram Deo luendum et expiandum ulteriori sanctificatione *N.* Contrarium enim ex patrum effatis colligitur, quibus significant se vere et quidem coram Deo aliquam satisfactionis partem, quandoque etiam totam remittere ad preces martyrum, ingruente praesertim persecutione (3).

PROPOSITIO III. — *Datur in Ecclesia indulgentiarum thesaurus constans ex meritis Christi et Sanctorum.*

Hanc pariter propositionem doctrinam catholicam

(1) Epistola praesertim IX. seqq. usque ad XV. et alibi passim.

(2) Quae ut intelligantur consuli debet historia ecclesiastica illius aetatis, ex qua discimus quinque presbyteros qui adversari fuerant episcopatu s. Cypriani, eidem semper postea infensus extitisse; inter hos autem recensetur etiam Novatus qui una cum Fortunato, Donato, Gordio et Gaio Dildensi auctor praecipuus fuit schismatis, quod an. 251. ineunte Felicissimus excitavit in Africa adversus s. Cyprianum. Porro Novatus addidit se socium Novatiano qui pariter Romae schisma fecerat adversus s. Cornelium. Ad confirmandum utrumque schisma contrarias omnino semitas alter Romae, alter vero Carthagine inveniunt pro diversis rerum adjunctis; etenim Novatianus accusabat s. Cornelium de nimia indulgentia erga lapsos; Novatus cum suis accusabat s. Cyprianum de nimia severitate erga eosdem lapsos. Quare ut Novatus abstraheret plebem a suo episcopo omnes absque delectu lapsos ad pacem admittentem aetate extremi delicti factam, ante manum ab episcopo et clero in poenitentiam impostam, ut saepe s. Cyprianus conqueritur. Merito ideoque s. Martyr in hos tanquam in *damones lupos, devastatoresque gregis* invehitur, qui per pacem didicerunt facere bellum. Cf. *Vitam s. Cypriani* edit. Maurini § 11. seqq.

(3) Hic obiter moneo non obesse iis quae diximus praxim

exhibere ac fidei proximam esse constat ex propositionibus contradictoriis quæ a romanis pontificibus confixæ sunt. Sane a Pio VI. propositio XLI. synodi historiensis damnata est, qua asserit: « Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi, et sanctorum, et claræ notioni absolutionis a pœna canonica substituisse confusam, et falsam applicationem meritorum; quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias non sint merita Christi et sanctorum, *falsa, temeraria, Christi et sanctorum meritis injuriosa, dudum in art. 17. Lutheri damnata* » (1). Hujus autem thesauri ex romanis pontificibus omnium primus meminit Clemens VI. in Const. *Unigenitus* hic verbis: « Unigenitus Dei Filius... thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit... ad ejus quidem thesauri cumulum B. Dei Genitricis, et omnium electorum a primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur » (2). Huic constitutioni calculum suum adjecerant subsequentes pontifices Leo X, S. Pius V. et Gregorius XIII. ex quibus postremi duo hanc Bani propositionem n. XL. proscripserunt: « Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiantur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitibus liberemur » (3).

Mirum est quo insano furore adversus hunc thesaurum insurrexerint Lutherus atque Calvinus cum agminibus suis; verum illud magis mirari subest his hæreticis socios se adjecisse nuperos aliquot theologos qui se tamen catholicos profitentur. Ne itaque ejusmodi doctores hoc thesauri nomine offendantur, et facilius catholicam tueamur doctrinam, juverit nonnulla majoris perspicuitatis gratia præmittere.

I. Animadverto thesaurum istum indulgentiarum fontem eatenus constare ex meritis Christi et sanctorum quatenus hæc *satisfactoria* sunt; norunt enim theologi omnes opera bona esse meritoria, impetratoria et satisfactoria. *Meritoria* sibi, *impetratoria* et sibi et aliis, *satisfactoria*, si de sanctis sermo sit, pro suis et aliorum debitibus, pro suis in eo quod ob proprias culpas Deo debent, pro aliorum debitibus ex superabundanti sibi ad compensationem seu debiti solu-

quæ olim obtinuit, ut cum data esset pax ægrotis in extremis constitutis, iterum subjicerentur penitentia si isti postea convalescerent; siquidem ejusmodi ægrotantibus non fuit præcise data indulgentia, eo sensu quo eam vocem hic accipimus, seu remissio plena ulterioris satisfactionis quam persolvere debuissent, sed tantum absolutio sacramentalis cum onere satisfaciendi si convalescerent. Nam indulgentia semel data irrevocabilis est.

(1) Hic Lutheri artic. qui apud Hard. est n. 14. ita se habet: « Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et sanctorum. »

(2) Apud Raynaldum ad an. 1349. n. 11.

(3) Apud Harduin. *Acta concil.* tom. x. col. 1299. Huic altera affinis est ejusdem Bani propositio n. 49. « Quando per eleemosynas, aliaque pietatis opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant: nam alioquin essemus saltem aliqua ex parte redemptores: sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur. » Quo sensu hæc propositiones præscriptæ fuerint paulo post dicemus.

tionem. Quare cum dicimus thesaurum constare ex *meritis*, meritorum nomen latiori sensu usurpatur, nempe pro *satisfactionibus*, atque ut nonnullis placet, etiam pro *impetrationibus*.

II. Animadverto ad essentiam indulgentiæ ac proinde etiam ad thesauri applicationem non requiri merita sanctorum, quæ non adduntur nisi ad instar cujusdam *adminiculi*, seu *cumuli*, ut loquitur Clemens VI. ut inde honor et gloria Christi meritis proveniat, et ne satisfactiones sanctorum superabundantes otiosæ maneat.

III. Annoto hujusmodi thesaurum non solum exurgere ex meritis sanctorum in cœlis degentium, sed etiam adhuc in his terris viventium, qui certe satisfacere possunt divinæ justitiæ tum pro suis tum pro aliorum debitibus, prout docet catechismus romanus (1).

IV. Animadverto denique applicari nobis ab Ecclesia per indulgentiarum concessionem merita sanctorum eadem plane ratione qua ab eadem nobis applicantur extra sacramentum merita Christi, qui dignitatem communicat sanctorum meritis gratia sanctificante, per quam sancti Christo uniuntur. Quo fit, ut Deus intuitu meritorum Christi et sanctorum per Ecclesiæ ministerium et conditiones ab eadem indictas, remittat pœnas temporales seu satisfactiones quas peccata nostra exposcerent (2).

Quibus ita expositis pronum est assertam adstruere propositionem. Etenim juxta dicta, indulgentiarum thesaurus sunt ipsa merita Christi et sanctorum quatenus sunt satisfactoria, aut etiam impetratoria, ac

(1) P. II. cap. 5. n. 61. cujus verba hæc sunt: « In eo summa Dei bonitas et clementia maximis laudibus, et gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus posset pro altero satisfacere. »

(2) Quo sensu perbelle scripsit comes de Maistre l. c. « Maintenant je vous fais apercevoir ce dogme universel (de la réversibilité) dans la doctrine de l'Eglise sur un point qui excita tant de rumeur dans le XVI^e siècle, et qui fut le premier prétexte de l'un des plus grands crimes que les hommes aient commis contre Dieu. Il n'y a cependant pas de père de famille protestant qui n'ait accordé des indulgences chez lui, qui n'ait pardonné à un enfant punissable par l'intercession et par les mérites d'un autre enfant dont il a lieu d'être content. Il n'y a pas de souverain protestant qui n'ait signé cinquante indulgences pendant son règne, en accordant un emploi, en remettant ou commuant une peine, etc. par les mérites des pères, des frères, des fils, des parents ou des ancêtres. Ce principe est si général et si naturel qu'il se montre à tout moment dans les moindres actes de la justice humaine. Vous avez ri mille fois de la sottise balance qu'Homère a mise dans les mains de son Jupiter, apparemment pour le rendre ridicule. Le christianisme nous montre bien une autre balance. D'un côté tous les crimes, de l'autre toutes les satisfactions; de ce côté les bonnes œuvres de tous les hommes, le sang des martyrs, les sacrifices et les larmes de l'innocence s'accumulent sans relâche pour faire équilibre au mal qui, depuis l'origine des choses, verse dans l'autre bassin ses flots empoisonnés. Il faut qu'à la fin le côté du salut l'emporte, et pour accélérer cette œuvre universelle, dont l'attente fut gémir tous les êtres (Rom. VIII., 22), il suffit que l'homme veuille. Non seulement il jouit de ses propres mérites, mais les satisfactions étrangères lui sont imputées par la justice éternelle, pourvu qu'il ait voulu et qu'il se soit rendu digne de cette réversibilité. Nos frères séparés nous ont contesté ce principe, comme si la rédemption qu'ils adorent avec nous était autre chose, qu'une grande indulgence accordée au genre humain par les mérites infinis de l'innocence par excellence, volontairement immolée pour lui! »

superabundantia, et quorum applicatio ab Ecclesiæ ministerio pendet: atqui dantur in Ecclesia hæc Christi et Sanctorum merita, quarum applicatio Ecclesiæ ministerio et auctoritati commissa est. Datur igitur in Ecclesia indulgentiarum thesaurus constans ex meritis Christi et sanctorum.

Dari porro hæc merita Christi satisfactoria et superabundantia nemo absque impietate inficiari potest, et quin ipsam redemptionem neget. Sane neque adversarii ipsi, præsertim protestantes, qui contendunt injuriam cruci Christi irrogari satisfactionibus nostris, eo quod Christus tum quoad culpam, tum quoad pœnam omnem cumulativè divinæ justitiæ satisfecerit. Verum dari præterea merita satisfactoria et quidem superabundantia sanctorum a nemine pariter cordato negari potest, ut de B. Virgine constat, et de s. Joanne Baptista, quorum vita sanctissima fuit, et nihilominus tot pœnas perpessi sunt, ut nihil magis, quin tamen quidpiam, si sermo præsertim sit de B. Virgine, luendum haberent. Quod autem de his dictum est, de innumeris pariter martyribus et sanctissimis viris, qui quovis tempore in Ecclesia floruerunt, cum debita proportione pronum est credere. Sane tum s. Ambrosius, tum s. Joan. Chrysostomus id affirmare de martyribus aliisque sanctitate conspicuis non dubitarunt, qui præterea luculentissime exponunt quanti valeant apud Deum sanctorum merita ad peccatorum remissionem, et doctrinam quam propugnamus aptissime evolvunt, ipsa adhibita *thesauri* voce in ea qua nos accipimus significatione (1).

Superest igitur ut ostendamus horum meritorum applicationem, sive thesauri dispensationem Ecclesiæ ministerio et auctoritati Christum commisisse. Jamvero Apostolus II. Cor. V, 18. scribit: « Dedit (Deus) nobis ministerium reconciliationis. Quæ verba cum generalissima sint complectuntur ministerium reconciliationis quod exhibetur tum per prædicationem, tum per sacramenta, tum extra sacramenta. Docet præterea I. Cor. IV. apostolos esse « ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei », quavis demum ratione hæc dispensentur. Hinc quemadmodum Christus Ecclesiæ concessit applicationem meritorum suorum per sacramentorum administrationem, eandem illi commisit applicationem faciendam virtute clavium, quas ei tradidit.

(1) Sic enim scribit s. Ambrosius *de penitentia*, lib. I. cap. 15. n. 80. loquens de incesto illo Corinthio cui Apostolus indulgentiam dedit: « Jam tunc igitur Apostolus reddendum sacramentis judicavit cœlestibus, si purgari se ipse vellet. Et bene ait *expurgate*; velut enim operibus quibusdam totius populi purgatur, et plebis lacrymis abluitur, qui orationibus et fletibus plebis redimitur a peccato et in homine mundatur interiore. Donavit enim Christus Ecclesiæ suæ, ut unum per omnes redimerentur; » et n. 81. « Consideremus ipsum Apostoli sermonem: *expurgate*, inquit, *vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi*. Sive quod tota Ecclesia suscipiat onus peccatoris cui compatiendum et fletu, et oratione, et dolore est: et quasi fermento ejus se totam conspergat; ut per universos ea que superflua sunt in aliquo penitentiam agente virilis misericordie aut compassionis velut collativa quadam admixione purgentur. » Cf. in hæc loca annot. edit. Maurini. Alia documenta cf. apud Ch. Lupum diss. cit. cap. 7. Testimonia s. J. Chrysostomi paulo infra afferemus.

Hæc confirmantur ex dogmate de communione sanctorum, cui innixus idem apostolus II. Cor. VIII. 14. divitibus Corinthiis scribebat: « In presenti tempore vestra abundantia eorum (pauperum Hierosolymitanorum) inopiam suppleat: ut et illorum abundantia vestrae inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas (1). » Hæc autem æqualitas profecto in *meritis*, quæ propria uniuscujusque sunt, fieri non potest; ergo in *satisfactionibus* ista æquatio fieri debet, ut quod uni superabundat, aliis in bonum cedat, qui deficient. Ergo (2).

DIFFICULTATES *Obj.* 1. Christus cumulativè meritorum suorum præmium retulit in sui corporis glorificatione ac nominis exaltatione, 2. quemadmodum et sancti plenam pariter operum suorum mercedem receperunt, 3. qui præterea nimis humiles erant, ne pro aliis putarent se satisfacere posse, et non pro debitibus suis tantum; deficiente propterea in ipsis hac satisfaciendi pro alienis debitibus intentione, quomodo putandum est eos pro nobis satisfecisse? 4. Accedit sanctorum satisfactiones esse Christi satisfactionibus injurias, vel saltem superfluas; *injurias* quidem, eo quod supponant tum Christi merita non sufficere, si tali *adminiculo* indigeant, tum sanctos hac ratione tot evadere redemptores; *superfluas*, quia cum Christi merita superabundent utpote infiniti valoris, jam supervacanea erunt merita sanctorum. 5. Rejiciendum igitur ejusmodi thesauri commentum *barbaris temporibus* pia lucrandi fraude excogitatum. 6. Præclare, inquit Calvinus, adversus hæc sacrilegia Leo, romanus episcopus, ad Palæstinos scripsit: « Quamvis multorum sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit mundi. Accepere justi, non dederunt coronas; et de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe eorum mortes fuere, *nec alterius quisquam debitum* suo fine persolvit: cum unus extiterit Dominus Christus, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, sepulti, suscitati (3). » 7. Sane prodigiosa hæc blasphemiam est, martyres plus morte sua præstitisse ac meritos esse quam sibi opus esset, et commiseri eorum sanguinem sanguini Christi, et ex utroque thesaurum Ecclesiæ confici, ad remissionem et satisfactionem peccatorum (4). Ergo.

(1) In Gr. text. v. 15. *ἵνα τῶν πῶν περισσεύσῃ τὸ ἕκαστον περισσεύσῃ τῷ ἑτέρῳ*. Ita καὶ τὸ ἕκαστον περισσεύσῃ γίνεται εἰς τὸ ἕκαστον περισσεύσῃ, ὅπως γίνεται ἄλλοις. Cf. in h. I. Bernard. a Piconio.

(2) Placet hic afferre quæ iterum apposite scribit comes de Maistre, loc. cit. « Quel superbe tableau que celui de cette immense cité des esprits avec ses trois ordres toujours en rapport! Le monde qui *combat* présente une main au monde qui *souffre*, et saisit de l'autre celle du monde qui *trionphe*. L'action de grâce, la prière, les satisfactions les secours, les inspirations, la foi, l'espérance et l'amour circulent de l'un à l'autre comme des fleuves bienfaisants. Rien n'est isolé, et les esprits, comme les lames d'un faisceau aimanté, jouissent de leurs propres forces et de celle de tous les autres. »

(3) Epist. CXXIV. ed. Bani. col. 97. adducitur vero a Calvino sub n. 81. In nonnullis differunt verba prout referuntur a Calvino ab iis quæ leguntur in cit. edit.

(4) *Instit.* lib. III. cap. 5. § 5.

R. ad 1. D. Quatenus ipsius opera meritoria fuerunt, Tr. (1), quatenus fuerunt satisfactoria N. Alioquin neque per sacramenta, sacrificium, et pia opera applicari possent Christi merita.

Ad 2. Eadem esto distinctio.

Ad 3. D. Speciali hac intentione, Tr. generali saltem, quae ex charitate proveniret N. Qui enim charitate flagrant ita dispositi sunt ut ea praestent quibus ceteri juvari possint juxta mentem et intentionem Ecclesiae ejus membra et filii sunt (2), et dogma de communione sanctorum quod ipsi profitebantur.

Ad 4. N. Etenim satisfactiones sanctorum imprimis injuriosae Christi meritis non sunt, cum non addantur meritis Christi ut eorum augeant valorem, sed potius ut valorem acquirant ex meritis Christi. Ex dignitate porro quam satisfactiones sanctorum acquirunt ex Christi meritis fit, ut satisfactionum numerus et quantitas augeatur, et per modum cumuli adjiciantur satisfactionibus Christi quin istis ulla ratione derogetur. Eodem scilicet modo quo non supponuntur insufficientes interpellationes Christi pro nobis, si apud Deum sanctorum, saltem viventium, preces et orationes interponantur. Sed neque praeterea sanctorum satisfactiones censi possunt superfluae, quia etsi Christi merita superabundent, utpote infiniti valoris, tamen nobis non applicantur nisi modo finito, cui propterea non repugnat merita sanctorum superaddi in gloriam ipsius Christi ex quo, ut diximus, valorem suum hauriunt, et ne praeterea otiosa permanent. Ex his denique patet sanctos non propterea evadere totidem redemptores, tum quia proprie redemptor ille solus est, qui captivum soluto pretio in libertatem asserit, quod non praestitit, nec praestare potuit nisi unus Christus; tum quia satisfactiones sanctorum perinde ac nostrae non habent nisi rationem medii, quo Christi pretium nobis applicatur (4), tum quia a Christi meritis solum totam vim suam mutuuntur (5).

Ad 5. Neg. novum esse commentum barbaris tem-

(1) Ideo transmisimus primum antecedentis membrum quia theologo passim negant integrum posse constitui praemium meritorium Christi, quae infiniti valoris fuerunt, sola corporis gloria et nominis exaltatione. Cf. Bellarm. de indulg. lib. 1. cap. 4. n. 2. tum card. Pallavicini storia del concilio di Trento lib. n. cap. 5.

(2) Quo sensu s. Thomas docet opera naturaliter honesta in Deum tanquam totius honestatis ac bonitatis auctorem natura sua virtualiter referri, quamvis qui ea operantur non habeant explicitam intentionem ea ad Deum referendi. Cf. quae scripsimus in tract. de gratia col. 1284. seqq.

(4) Recte Bossuet in Exposition de la doctrine de l'Eglise cath. ch. 8. « Ce que nous appelons satisfaction après toute l'Eglise ancienne, n'est, après tout, qu'une application de la satisfaction de Jésus-Christ. » Quod quidem principium alicui semper in mente repositum tenendum est, cum inde lux non modica affulgeat his quae de satisfactionibus sanctorum et indulgentiarum dispensatione traduntur. Hoc tamen non impedit quominus merita sanctorum vere satisfactionis et impetrationis vim habeant, ut fert communis sententia, cum sint medium quo nobis applicentur merita et satisfactiones Christi, uti fit per opera satisfactoria iustorum in hac vita degentium.

(5) Cf. Bellarm. De indulg. lib. 1. c. 4. n. 17.

poribus excogitatum indulgentiarum thesaurum; sive enim doctrinam, rem nempe in se spectemus, sive nomen ipsum, antiquissima sunt. Sane ad rem quod spectat tot ejus suppetunt testes quot episcopi, imo et concilia ad martyrum intercessionem et ad intuitum ipsorum meritorum indulgentiam concesserunt, quot Patres docuerunt piorum ac sanctorum lacrymas et labores ad aliorum peccatorum expiationem conferre. (1) Quod vero attinet ad thesauri nomen in significatione qua hic accipitur, testis est locupletissimus s. Joan. Chrysostomus, qui docet spirituale Ecclesiae thesaurum componi ex cunctis simul in unum coalescentibus martyrum meritis, horum nullum temporis lapsu exhauriri, ideoque thesaurum istum nunquam minui, sed quotidie augeri. En ejus verba ex Homil. in ss. MM. Juveninum et Maximinum: « Eiusmodi est thesaurus Ecclesiae, novas et veteres habet margaritas: sed una omnium est pulchritudo. Eorum (martyrum) flos neque marcescit, neque defluit tempore. Nescit vetustatis rubiginem splendoris istius natura. Temporis diuturnitate opes, quae ad corpora spectant, facile intereunt... At non sic se res habet in spiritualibus thesauris, de martyribus, inquam, qui semper in eodem manent vigore, semper in eodem juventutis flore sunt, semper suae gloriae fulgorem emittunt et radios » (2); et alibi id ipsum inculcat (Cf. Apud Christ. Lupum l. c). Non est igitur thesauri doctrina novum commentum pia lucranda causa excogitatum, ut jansenistae autumant.

Ad 6. Neg. s. Leonem in objectis verbis doctrinae catholicae quam propugnamus aliqua ratione adver-

(1) Cf. Christ. Lupum diss. cit. De peccatorum et satisfactionum indulgentiis cap. 7. necnon Amort. op. cit. P. 1. Hist. indulg. a temporibus apostolicis usque ad nostra tempora. Diss. Praelim. § 2. et 3. Theodor. item a Spiritu S. Ord. Carm. Tract. dogmatico-moralis de indulgentiis Romae 1745. P. 1. Diss. Praelim. §§ 2. 3. et 4. Petr. Ballerinum Cit. Praelect. III. § 2. seqq. Hi porro auctores ostendunt ejusdem esse naturae indulgentias quae ab apostolica aetate ad nos usque concessae sunt, licet diversa ratione, quoad formam, ut ita loquar, exteriorem fuerint distributae. Hinc mirum cullibet videri poterit Suarez in 5. p. s. Th. q. 90. diss. 49. sect. 2. n. 10. scripsisse: « Nullo sufficienti fundamento affirmare possumus, illam remissionem quae tunc fiebat a praetatis fuisse ejusdem rationis cum illo usu indulgentiarum, quem nunc inquirimus, aut processisse ex potestate liberaliter remittendi penas peccatis debitas apud Deum, sed debitas tantum apud Ecclesiam. Nam potestas solvendi et ligandi cum proportionem sibi respondent: illa autem pena solum imponebatur per potestatem ligandi ad ecclesiasticam penam; similis ergo seu proportionata erat illa remissio. » In quo profecto vir doctus lapsus est cum ei adversentur omnia antiquitatis documenta. Attamen eidem astipulatus est Muzzerelli in cit. dissert. qui propterea initio sec. XI. indulgentiae primum authenticum documentum se reperisse affirmat: in quo et ipse refellitur ex his quae hucusque adduximus, et ab his omnibus quae a cit. AA. referuntur. Cf. Bellarm. de indulg. lib. 1. cap. 7. prop. 4. qui longe solidius de his agit, ac minus recte sentientes vocat eos theologos catholicos, qui docuerunt apud veteres non fuisse indulgentiam nisi relaxationem poenitentiae in foro Ecclesiae laudandae.

(2) Τοσοῦτος τῆς ἐκκλησίας ὁ θησαυρὸς, νέος καὶ παλαιός: ἔχον μαργαρίτας· ἀλλ' ἐν ἀπάντων τὸ κάλλος. Οὐκ ἀμαρτύνεται τὸ ἀπόδος αὐτῶν, οὐ καταλείβεται τῆς χροῆς, οὐ δέχεται παλαιότητος ἴσον τῆς λαμπρότητος ταύτης ἢ φθοῆς· ἢ μὴ τὴν οὐρανίαν περιουσίαν εἶναι καὶ παραμυθίαν τῶν ἁγίων τοῦ ἔχρονος. ... ἵτι δὲ τῶν πνευματικῶν θησαυρῶν, οὐδ' οὐτως· ἀλλ' αἱ καὶ διαπαντός ἐν τῷ μέσῳ ἀνάβῃ, καὶ μέντοι λαμπρότης καὶ ἀποστειλόμενος τῆν τῆς οὐρανίας λαμπρότητος ὅσον εἰ μάρτυρας. Op. p. edit. Maur. tom. n. p. 578. seqq.

sari, si rite intelligantur. Etenim non aliud docuit s. Leo, quam solum Christum nos redemisse, ac de condigno pro debitis nostris satisfacisse. Quod nemo catholicus est qui non doceat. Dum propterea catholici tenent satisfactiones sanctorum persolvere debita temporalis poenae a nobis promeritae, eo sensu id asserunt quod de congruo nobis prosiat, quatenus eorum intercessionibus ac solutionibus nobis applicentur merita Christi. Superius enim annotavimus sanctorum satisfactiones nobis applicari quemadmodum applicantur nobis satisfactiones viventium, quae certo non nisi de congruo vim habent apud divinam justitiam. Exinde patet furiosam Calvinii declamationem consultam esse ex praepostera doctrinae catholicae expositione et calumnia, uti jamdiu ostenderat Bellarminus (1).

Ad 7. N. Siquidem nunquam docuerunt catholici, martyres plus morte sua praestitisse ac meritos esse quam sibi opus esset, sed solum plus interdum satisfacisse seu solvisse quam eorum peccata quoad poenam temporalem exposcerent. Nunquam praeterea docuerunt eorum sanguinem commiseri sanguini Christi, et ex utroque thesaurum Ecclesiae confici, sed eorum satisfactiones ex Christi meritis vim haurire tum ut vere solverent pro debitis propriis et alienis, tum ut nobis obineant applicationem satisfactionum Christi, perinde ac nostrae satisfactiones ex Christi gratia eam vim habent, ut vere satisfaciamus, atque ut nobis applicemus ejusdem Christi merita; imo minori adhuc vim pollent satisfactiones sanctorum, quam nostrae. Nostrae siquidem de condigno id efficiunt, si justus simus; seu pro nobis de

(1) De indulg. lib. n. cap. 4. ubi praeterea nonnullas alias solvit difficultates quas ex s. Augustino urget Calvinus. Sapienter porro admonet lib. 1. cap. 4. n. 4. Quomodo autem concurrant in hac applicatione satisfactiones Christi cum passionibus sanctorum, id est, an applicetur pars una satisfactionis ex passionibus Christi, pars alia ex passionibus sanctorum; an vero integra satisfactio accipiatur semper ex passionibus Christi, et superaddantur ad cumulum passiones sanctorum, non videtur nimis curiose investigandum. Ita quidem pius ac doctus cardinalis. Verum Christ. Lupus diss. cit. cap. 7. addit nos cogi Calvinii calumniae id investigare. Statuit propterea certum esse non sic miseri sanguinem Christi cum sanguine martyrum seu satisfactiones Christi cum satisfactionibus sanctorum, ut ex ambabus applicetur sua portio, et sic fiat una integra indulgentia. Hanc enim mixturam Calvinus impugnat: et, ut praeterea auctor loquitur, ex firmo fundamento. Eiusmodi deviae quorundam scholasticorum sententiae frequenter dederunt ansam haereticis in Ecclesiam calumniis. Istorum nugae semper idem auctor pergit, hi suis venditant ut fidem totius catholicae communionis. Cum vero ostenderit auctoritate concilii Eghesini et ss. patrum satisfacere pro aliis de condigno proprium esse solum Christi, concludit: « Proinde sanctorum passiones non nisi impetrando, seu non nisi de congruo possunt procedere. Nec aliam virtutem habent in Ecclesiae thesauro. » Denum potest fieri quo sensu fuerint proscriptae Bani propositiones quas superius retulimus ac 19 quia Bani visus est sanctorum MM. passionibus omnem nobis merendi, et pro nobis satisfacendi virtutem auferre. 20 quia visus est denegare passionibus sanctorum vim obtinendi nobis applicationem meritorum Christi. Bani enim in eo erravit quod omnem, ut vocant, condignitatem in satisfactionibus sanctorum denegaverit, ortam tum ex natura operis, tum ex acceptatione divina. Cf. eundem auctorem ibid. Attamen addi debet satisfactiones sanctorum ex meritis Christi praeterea vim habere solutionis debiti, cum talis sit mens rom. pontificum in applicatione thesauri, et non impetrationis tantum.

condigno vere meremur et satisfacimus, contra vero satisfactiones sanctorum non nisi de congruo pro nobis id praestant. Patet igitur ejusmodi difficultates haereticorum si ad germanam catholicae doctrinae notionem exigantur prorsus evanescere. Mirum propterea est, auctores catholicos easdem obtrudere ac urgere, ita ut non vereantur cum haereticis causam communem agere (1).

PROPOSITIO IV. — Indulgentiae applicari etiam possunt per modum suffragii animabus in purgatorio degentibus.

Certa haec est propositio, nec sine temeritatis nota in dubium revocari potest; summus enim pontifex Pius VI. in saepe laudata const. Auctorem fidei sequentes propositiones synodi pistoriensis proseripit, scilicet XLII. « Item in eo quod superaddit (synodus), laetuosius adhuc esse quod chimerica isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos; » quae declaratur: Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in romanos pontifices, et in praxim, et sensum universalis Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem haereticum nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22. Lutheri. et XLIII. « In eo demum, quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc. » Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos pontifices, atque in praxim tota Ecclesia frequentatam contumeliosa.

Diximus autem per modum suffragii applicari posse indulgentias animabus in purgatorio degentibus, quia Ecclesia nulla jurisdictione in has animas gaudet; adeoque indulgentiae etiam prout ab Ecclesia conceduntur quoad has animas non habent nisi vim impetrationis, seu orationis, quatenus nempe Ecclesia Deo offert merita Christi et membrorum ipsius tam regnantium in caelis quam militantium in terris, ut eorum intuitu, quae per modum solutionis ab ipsa

(1) Adversus Pereira Cf. Aloysium Cuccagni in suppl. ad ephemerid. ecclesiasticas Rom. an. 1790. obs. 2. n. 9. 10. Morinus De poenit., lib. x. cap. 21. affirmat priam thesauri mentionem offendi apud Alexandrum Halens. et Albertum M. Verum nos contrarium ostendimus. Quod primum invenitur apud scholasticos est applicatio juridica explicita thesauri per claves Ecclesiae, quae potissimum eo tempore obtinuit quo poenitentiae canonicae quibus debitas solvuntur Deo persolvebant cessare ceperunt. Si enim Ecclesia liberasset fideles a penso persolvendi poenitentiae canonicae quia subrogasset ex thesauro satisfactionem eam partem quae responderet relaxatae poenitentiae, ejusmodi relaxatio cessisset in damnum eorumdem fidelium, qui debuissent penas peccatis suis debitas rependere in altera vita. Cf. Petrum Ballerinum Praelect. 5. cit. Cap. 5. n. 28. seqq. Ceterum si rem spectemus, certum est semper in Ecclesia eam obtinuisse, ut constat ex allatis documentis ss. Ambrosii et Joannis Chrysostomi; imo et ex Tertulliano, Cypriano, Ecclesia Lugdunensi in epist. ad episcopos Asiae. aliisque quae longum esset recensere, ex quibus constat doctrinam hanc duobus principiis inniti, in satisfactionibus Christi et sanctorum, et in potestate clavium quoad earum applicationem. Huc etiam refertur celebre factum quod memoriae prodidit Clemens Alex. apud Eusebium Hist. Eccl., lib. m. cap. 25. de illo latrone et homicida cui jam poenitenti s. Joannes Evangelista satisfactiones suas se communicatum sponderat illis verbis: Ego pro te satisfaciam Christo; et orationes pro illo jam poenitente fuisse, et continuis jejuniis una cum eo se macerasse in promissam satisfactionum communicationem.